

PIÈCES JUSTIFICATIVES

I

*Charte du roi Louis VII, confirmant la fondation
de la reine Adélaïde, sa mère. 1155.*¹

Ego Ludovicus Dei gratiâ Francorum rex notum facimus tam præsentibus quàm futuris quod genitrix mea Adelaides regina, quamdam domum fœminarum pauperrimam in forestâ Cuisiæ constituit quæ neque eis, dùm vivebat, corporale providisset subsidium : proinde cum terra venisset in manum nostram, illum locum visitavimus, et angustiâ earum cognitâ, illis sanctis monialibus multum compatiens pro amore Dei et pro aminabus parentum nostrorum, regis scilicet Ludovici et prædictæ reginæ, et pro peccatorum nostrorum remissione, decimam panis nostri quotidie, quoties Compendii, Verbericæ, Bistisiaci, sive etiam in forestiâ simus, et in eleemosynam perpetualiter habendam decrevimus.

Quicumque vero terræ hujus post nos obtinuerit dominium, hanc nostram eleemosynam absque retentione reddat prædicto loco, et nullatenus retinere præsumat. Quod ut ratum sit, sigillo nostro firmari et nostro caractere præcipimus consignari.

Actum Compendii anno Incarnati Verbi MCLV, in palatio nostro, adstantibus quorum subtitulata sunt nomina et signa : signum comitis Theobaldi, dapiferi nostri. Sig. Guidonis, buticularii. Sig. Matthœi, camerarii. Sig. Matthœi, constabularii : S. Ludovici. Datum per manum Hugonis constabularii.

II

*Charte de Philippe le Bel, en faveur des religieuses
de Saint-Jean-aux-Bois, en l'année 1304. - La chapelle de l'Hermitte.*

Philippus Dei gratiâ Francorum rex, notum facimus tam præsentibus quam futuris, quod nos pietatis intuitu et ad divini

1. Collection Moreau : Vol. 68, fol. 230 — *Gallia Christiana*, t. X. col. 123, Instrumenta